

riorum; nam in his potissima pars vitæ contemplativæ consistit.

Quomodo Societas tam multæ actioni simul cum contemplatione possit satisfacere?

9. *Ad alteram partem difficultatis in numero tertio. — Deum unicuique religioni gratiam suo instituto accommodatam communicare. —* Atque ex his difficile non est tollere admirationem, quæ in numero tertio objiciebatur, scilicet, qui fieri possit ut tam multa actio, quam Societas proficitur, cum perfecta contemplatione jungatur. Respondemus enim imprimis hoc non esse impossibile cum divina gratia; et quamvis id difficile videatur, perfectam tamen virtutem circa difficile versari, atque ita difficultatem illam, per religionis providentiam et perfectam institutionem, cum vocationis gratia posse superari. Dico autem cum vocationis gratia, tum quia nemo pro ratione sui status potest pie vivere, nedum perfecte, sine speciali gratia Dei; tum etiam quia pie credendum est, vel potius est moraliter certum, Deum unicuique religioni dare specialem gratiam, quam communicat omnibus qui ab Spiritu Sancto ad illam vocantur, si per illos non steterit, ut finem illius instituti consequi valeant. Sic enim dixit D. Thom., in 4, d. 2, quæst. 1, articulo secundo, ad 9, ad quamlibet eminentiam status dari aliquam sanctitatem, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiæ. Et d. 38, quæst. 1, articulo quinto, ad 2, dixit, in consecratione virginum, et aliis hujusmodi benedictionibus, dari gratiam, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis. Cujus locutionis sensus non est, per hos actus dari aliquam gratiam ex opere operato, cum non sint sacramenta, nec de hoc possit assignari certa aliqua lex; imo neque speciale privilegium eis esse concessum, cum sufficienti fundamento dici potest. Sensus ergo est, de speciali gratia auxiliante, excitante et adjuvante, quam Deus, quantum in ipso est, majorem et specialiolem tribuit his, quos in speciali statu ac munere constituit, ad cujus convenientem usum illa indigent. Quo principio usus est etiam idem D. Thomas, tertia parte, quæst. 27, articulo quinto, ad 1, et a nobis confirmatum est in 2 tom. tertiæ partis, disp. 1, sect. 2, ad finem, et disp. tertia, sect. quinta, ration. 3, ubi ex Scriptura et Patribus illud confirmavimus. Quibus addi potest illud Pauli, ad Ephes. 3: *Ejus factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum virtutem operationis ejus;*

mihî enim Sanctorum minimo data est gratia evangelizare investigabiles divitias Christi. etc. Atque hoc voluit Deus significare Moysi, quando se excusanti a divino ministerio, eo quod ad illud imparem se agnosceret, respondit: *Ego ero tecum;* hoc enim verbo non tantum speciale privilegium, sed suavis etiam dispositio providentiæ divini significata est, dantis unicuique gratiam muneri vel statui ab ipso Deo instituto accommodatam. Cum ergo omnes religiones approbatæ merito censeantur speciali Dei providentiâ institutæ, dubitandum non est quin singulæ habeant param speciale Dei auxilium suæ vocationi proportionatum, ac proinde eo majus, quo institutum fuerit altius ac difficilius, et ad majus Dei obsequium, majoremque Ecclesiæ utilitatem ordinatum. Ostendimus autem in Societatis instituto hæc omnia excellenti quodam modo inveniri, scilicet, approbationem, institutionem ex Spiritu Sancti instinctu, intentionem divini cultus et gloriæ, cum gravissimo munere et onere procurandi salutem animarum; ergo dubitari non potest quin habeat a Deo paratam specialem vocationis gratiam, qua prædictum finem comparare valeat. Atque hujus gratiæ vocationis videtur nobis præbuisse testimonium Gregorius XIII, constitutione *Quanto fructuosius*, et in alia bulla *Ascendente Domino*, cum dixit: *Sicut Societatis finis est propagatio et defensio fidei, animarumque in vita et doctrina Christiana progressus, ita etiam gratiæ ejus vocationis proprium est, diversa loca ex Romani Pontificis vel Præpositi generalis directione peragere.* Nam, quia ille actus et difficilius et periculosior aliis esse potest, ideo gratiæ vocationis specialiter illum attribuit; sic ergo nos dicimus, si quæ est difficultas in jungenda perfectione vitæ activæ cum perfectione vitæ contemplativæ, per gratiam vocationis non difficile superari posse.

10. *Alio modo eidem dubitationi satisfi. — Prima circumstantia ad Societatis actiones requisita. — Secunda. —* Adde vero ulterius, si attente consideremus ea quæ diximus, non esse in eo negotio nimis magnam difficultatem, quia principales actiones, in quibus vita activa Societatis versatur, ita sunt conjunctæ cum vita contemplativa, ut veluti ex corpore et animo unum quid ex illis efficiatur; quamvis autem plura, ut plura, intendere difficile sit, qua de causa, Ecclesiastici 11, dicitur: *Fili, ne in multis sint actus tui;* et Luc. 10, Marthæ declaratur unum esse necessarium,

quod Augustinus et alii Patres unico vitæ contemplativæ negotio seu otio exponunt. Plura tamen per modum unius intendere non est difficile. Exemplo ab speculatione et doctrina aliarum scientiarum sumpto, rem declaro. Longe enim diversum videtur docere et speculari, scribere aut meditari; tamen hæc duo munia non se impediunt, neque unum ratione alterius difficilius redditur, quia unum ex alio oritur, et tunc recte doctrina traditur, quando interior veritatis speculatio perfecta est. Ita vero se habet contemplatio ad prædictas Societatis actiones, et ideo illam per se non impediunt, eo vel maxime quod tales actiones, ut perfecte fiant, duas circumstantias ad contemplativam partem maxime pertinentes per se requirunt. Una est, ut fiant intuitu majoris gloriæ, et obsequii divini, et quod semper aut frequenter quoad fieri possit, illuc referantur, de quo frequenter filii Societatis in suis constitutionibus admonentur, ut videre licet in 3 p. Constit., cap. 1, § vigesimo sexto, et p. 7, c. 1, § 1, et c. 2, per totum, et p. 8, cap. 1, et ideo in parte decima, § 2, dicitur: *Ad conservationem et incrementum spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi præfigit, auxilium animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quæ cum Deo instrumentum conjungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernentur, efficaciora sunt quam quæ illud disponunt erga homines. Hujusmodi est probitas et virtus, ac præcipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis.* Qui modus operandi perfectissimus est, et qui assiduam Dei memoriam maxime conservat, ut late explicat Basilius, reg. 5, ex fusius disputatis, et attingit in brevioribus, regul. 195 et 196. Alia circumstantia, quæ ex dictis facile colligitur, est, ut talia opera fiant cum actuali oratione ac petitione divini auxilii. Quia cum in illis omnibus homo semper operari debeat ut Dei instrumentum, a quo debet efficaciam illorum expectare, tunc perfecte fiunt, quando prædicta oratio cum eis adjungitur. Igitur si debito modo tales actiones fiant, ex se non impediunt perfectionem vitæ contemplativæ, sed potius ex se juvant. Et quamvis contingat aliquando impedire actualem quamdam interiorum suavitatem et dulcedinem, illud non est substantiale detrimentum, multoque magis perfectionem auget opus charitatis erga proximos propter Deum factum. Propter quod dixit Gregorius, prima p. Pastoralis, c. 5, ad

finem: *Sunt nonnulli qui, magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum prædicatione refugiant, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt; de quo si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse poterunt; qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?*

CAPUT VII.

IN QUO GRADU PERFECTIONIS SOCIETATIS RELIGIO CONSTITUTA SIT.

1. *Prima objectio quorundam in Societatem, quod chorum non habeat. —* Quamvis omnis religio sit actus perfectionis, tamen non omnes omnia consiliorum opera exercent, et ideo quædam in altioribus versantur, quam aliæ, juxta varios fines proximos, in quos tendunt, ut in superioribus visum est. Et ideo ad perfectam notitiam Societatis tradendam, necesse est, quantum sine invidia et arrogantia fieri possit, quem gradum in hoc ordine perfectionis attingat, explicare. Quod quidem in his, quæ hactenus diximus, tam clare continetur, ut nova expositione non indigeat. Tamen, ut aliquorum objectionibus satisfaceret, hoc omittere non potuimus. Aliqui enim Societatem magnæ imperfectionis arguunt, tam in munere vitæ activæ, quam contemplativæ, unde concludere conantur, illius institutum valde imperfectum esse. Priorem partem ad vitam contemplativam pertinentem ex eo colligunt, quod Societas præcipuum hujus vitæ munus, quod in psalmodia et divinis laudibus decantandis consistit, non fungatur. Et ideo omnes antiquiores religionum institutores hanc præcipue in suis regulis, commendaverunt, ut constat ex Basilio frequenter in suis regulis, tam fusius, quam brevius disputatis; et Benedicto, in sua regula, a cap. 9, per plura sequentia; et ex Augustino etiam in sua regula, quos omnes posteriores religiones imitatae sunt, præsertim mendicantes, quæ ex vi sui instituti eleemosynis fidelium aluntur, et hæc ratione videntur speciali titulo obligari ad divina officia publice decantanda. Propter quod Sot., de Just., libro decimo, quæst. decima, articulo tertio, circa finem, cum dixisset religiones approbatas teneri officium

divinum in communi celebrare, quia illud est præcipuum contemplationis munus, subdit: *Liquor de regularibus antiquis; nam si alius religionis modus circa hujusmodi obligationem admittatur, certe via nomen religionis meretur, quippe quæ maximo splendore religionis caret.* Quem imitatus est Trull., lib. 2 Ordin. Canonic., c. 12.

2. *Secunda objectio in eandem Societatem, quod austeram vitam non agat.* — Auctor sermonum ad fratres. — Altera pars, pertinens ad vitam activam, ex alio capite sumitur, scilicet, quia magna portio hujus vitæ consistit in actibus pertinentibus ad poenitentiam, afflictionem, et austeritatem corporis; et in universum loquendo, hujusmodi poenitentiae et austeritatis exercitia maxime necessaria sunt ad perfectionem assequendam. Propter quod omnes etiam antiquæ religiones in hac vite austeritate magna ex parte fundatæ sunt, sicut de antiquis monachis per Ægyptum late refert Eusebius, lib. 2 Historiæ, cap. decimo septimo, et ex Athanasio, in vita Antonii, et ex aliis historiis antiquorum Patrum constat. Et D. Basilius esum carniæ suis monachis prohibuit. Et auctor serm. 4 de Communi vita clericorum, alias serm. 5, ad Fratres in eremo, de illis eremitis ait: *Postquam eremum intraverunt, nunquam carnes sumpserunt, ovino colore, nigerrimo, asperrimoque induti sunt.* Et libro 4 de Moribus Ecclesiæ, cap. trigesimo primo, mirum in modum Augustinus exaggerat, et laudat severissimam antiquorum cœnobarum et eremitarum vitam. De qua multa etiam apud Hieronymum, in epist. 22 ad Eustochium, de Custodia virginitatis, præter alia, quæ epistola quarta, decima tertia, et aliis, de hoc genere vitæ commendat. Sanctus etiam Martinus (ut in ejus Vita refert Sulpitius) usum vini in suo monasterio suis monachis interdixit. Benedictus etiam, in sua regula, cap. 39, a carnibus voluit abstinere monachos, præter de biles et infirmos. Quod servari præcipitur in cap. *Cum ad monasterium*, de Statu monachorum, ubi, etiam lineæ camisiæ prohibentur monachis. Unde in cap. *Carnem* (inquit Fructuosus Episcopus) *cuiquam monacho, nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia, non quod creaturam Dei judicemus indignam, sed quod carnis abstinentia utilis et apta monachis aestimetur.* Divus Gregorius, in epistola ad Augustinum, Anglorum Episcopum, ut refertur in cap. *Denique*, d. 4: *Sacerdotes* (inquit) *et diaconi, et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat,*

a Quinquagesima propositum jejunandi suscipiant. Et subdit rationem, ad rem præsentem multum pertinentem: *Quo et aliquid ad pensum sanctæ institutionis adjiciunt, et eorum, qui in laicali ordine consistunt, observantiam, sicut loco, ita religione præcellant.* At vero Societas non solum antiquam religionum austeritatem non imitatur, verum etiam in hoc genere fere nihil peculiare proficitur, præter ea, quæ ex communi usu, vel præcepto Ecclesiæ omnes observare tenentur. Est ergo in hac parte valde imperfecta, Christique et Apostolorum vestigia non sequitur, ut modernus quidam¹ in illam tacite objecit, præter alia, quæ in lib. nono, cap. septimo, agendo de usu exercitiorum, afferemus.

Societatem ex vi sui instituti perfectissimam religionem esse.

3. *Notatio ad probationem.* — *Suadetur prima pars, primo.* — Nihilominus dicendum est religionem hanc ex vi sui instituti perfectissimam esse, ita ut in supremo ordine statuum religiosorum constituta sit, et in eo non infimum gradum teneat. Ut sensum conclusionis explicem, suppono, quod in tractatu 9, libro primo, cap. sexto, cum D. Thoma ostensum est, religiones, quæ puram vitam contemplativam profitentur, ex suo genere perfectiores esse illis quæ profitentur vitam pure activam, religiones vero, quæ ex vi sui instituti utramque vitam apprehendunt, utrisque perfectiores esse. Ex quo D. Thomas, q. centesima octogesima octava, articulo sexto, concludit: *Summum gradum in religionibus tenent, qui ordinantur ad docendum et prædicandum.* In hoc ergo sensu dicimus religionem Societatis in supremo ordine perfectionis religiosæ constitutam esse. Quod, supposito dicto principio, evidenter concluditur ex his quæ de fine hujus religionis diximus in cap. 4; ostensum est enim religionem hanc esse institutam per se, et directe, tam ad opera vitæ contemplativæ quam activæ, et ad docendum et prædicandum, et ad alia spiritualia opera circa proximos exercenda cum maxima perfectione et propensione.

Suadetur secundo. — Secundo, potest hoc explicari ex alio principio posito, quod Societas per se est religio presbyterorum. Nam, loquendo ex genere, religio clericorum perfectior est quam religio monachorum, quod sumi potest ex cap. 1 et 2, 19, q. 3, ubi pro-

¹ Avendano., tractat. 11 in Psal. *Beati immaculati*, v. 3.

hibentur Canonici regulares ad monachatum transire, quamvis illud possit exponi factum esse propter dignitatem sacerdotalem, ut indicat D. Thomas, 2. 2, q. 189, art. 8, ad 2, et supra, in tractatu octavo, libro tertio, cap. decimo, expensum est. Inde tamen possumus ulterius argumentari; nam ordo sacerdotalis per se est dignissimus, et statum perfectionis aliquo modo attingens, ut in superioribus significatum est, et sumitur ex Dionysio, toto lib. de Eccles. hierar.; et Chrysostomo, hom. 38 in Matth., ubi ait sacerdotes esse quasi cor et stomachum Ecclesiæ, quoniam ab eis recipit Christianus populus vitæ influxum, et spirituale alimentum. Ergo religio, quæ per se primo ordinatur ad perficiendum sacerdotes, ut sic, id est, in ipsis muneribus sacerdotibus, perfectior sine dubio est ex suo genere, quam professio quæ per se est laicorum, qualis est monachalis, et ideo hæc religio initiantium vocatur a Dionysio, c. 6 de Ecclesiast. hierarch., et propterea ex monachis ad sacerdotium assumebantur de licentia Abbatum, quando digni inveniebantur, ut sumitur ex Gregorio, lib. 5 Epist. cap. 127, alias epist. vigesima septima, unde est etiam illud Hieronymi; epist. 4 ad Rusticum: *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis.* Quia vero hæc comparationes semper intelliguntur cæteris paribus, vel quantum est ex tali capite, ideo fieri potest ut duæ religiones mutuo se excedant, quatenus una magis attendit ad munus proprium sacerdotum, quam ad concionatorum. Altera vero e contra magis ad hoc quam ad illud munus incumbit. Postea vero ad faciendam illam comparisonem simpliciter oporteret illa capita seu munera inter se comparare, quod ad nos non spectat. Societas enim in utroque illo genere existit, et simul utrumque caput amplectitur, ut capite præcedenti ostensum est; unde ex hoc capite perfectior etiam est ex genere suo, quam quælibet alia, quæ unum tantum genus illorum participat; maxime cum in singulis generibus illorum magnam quamdam perfectionem intensivam (ut sic dicam) et extensivam habeat; nam est religio sacerdotum, tam quoad cætera divinum mysteriorum, quam quoad cætera ministeria, quæ ad perficiendum corpus Christi mysticum diriguntur, et ordinatur ad prædicandum et docendum, quocumque per Christi Vicarium mittantur, et cum omni perfectione in superioribus satis explicata.

5. *Suadetur tertio.* — Hinc denique addi potest tertia ratio, sumpta ex D. Thoma, d.

articulo sexto; nam *supremum in unoquoque genere est mensura cæterorum*; in statu autem perfectionis supremum locum tenent Episcopi; ergo religio, quæ ad illum statum propinquius accesserit, erit ex suo genere in altiori statu perfectionis, quam reliquæ; sed Societas propinquissime videtur accedere statum Episcopalem, quantum ad id unde habet, quod sit status perfectionis; ergo. Probatur minor, quia Episcopi dicuntur præcipue esse in statu perfectionis, quia sunt in statu perfectionis communicandæ, et quia ad hoc obligantur ex officio, etiamsi oporteat pro ovibus dare animam suam, et quia in illo munere firmitatem habent ex obligatione sui status; sed hæc omnia participat excellenti modo Societas; nam ex vi sui finis ordinatur non modo ad perfectionem acquirendam, sed etiam exercendam et communicandam, et ex vi suorum votorum (quod illi proprium est) ad hoc obligatur, non obstante quacumque difficultate, peregrinando per universum orbem, etiam mendicando, si opus sit, et pericula quæque subeundo, usque ad sanguinis effusionem; in quo munere habet etiam firmitatem ratione obligationis voti; ergo etiam ex hoc capite proxime accedit ad statum perfectionis Episcopalis. Differt autem (ut cap. 2, n. 8, dixi), quia non principaliter, sed ministerialiter hoc munus sustinet. Item quia non se extendit ad conferenda illa sacramenta, per quæ aut fideles in perfecto quodam statu Christianitatis constituuntur, ut est Sacramentum Confirmationis, aut creantur ministri perfectionis aliorum, ut est Sacramentum Ordinis. Sed in his omnes religiones inferiores sunt Episcopis, quorum sunt adjunctrices. In hoc vero potest speciale aliquid in Societate notari; nam videtur specialiter instituta in ministerium Apostolicæ Sedis, ut ex bullis Pontificiis sæpe adductis manifeste constat. Unde etiam Clemens VIII, benigne alloquens Patres, qui ex universa Societate Romæ congregati fuerant anno 1600, Societatem *brachium dextrum Sedis Apostolicæ* appellare dignatus est. Ex quo etiam factum est, ut ab eadem Sede Apostolica plurimæ gratiæ et facultates in Societatem manaverint, in ordine ad ministeria exercenda circa salutem animarum, et communicando potestatem suam ad perficiendos alios, ut ex eisdem Pontificiis bullis manifestum est, et in libro nono exponemus.

6. *Quid in secunda parte conclusionis intendatur.* — Ex his non erit difficile alteram partem conclusionis probare, scilicet, non habere

Societatem in illo ordine infimum gradum, quam per hanc negationem, potius quam per positivam comparationem proposui, ut omnem invidiam vitarem. Duo enim solum ostendere intendo: unum est, habere in illo ordine satis magnam perfectionem; aliud est, ex illis duobus capitibus, quæ nobis objiciuntur, non posse colligi huic religioni deesse aliquid perfectionis debitæ et convenientis sibi juxta finem suum, et consequenter nec sibi simpliciter melioris; neque etiam ob has causas posse juste postponi aliis, qui pie ac religiose sanctas illas actiones exercent. Quæ vero in particulari, pensatis omnibus, perfectior sit, non est meum adjudicare, ut sæpe in hac materia dixi.

7. *Probatur jam primo hæc secunda pars ex fine Societatis.* — Illud ergo prius (posterius enim c. 8 et 9 præstabitur) multis profecto et manifestis modis ostendi potest, ex his quæ hactenus de hoc instituto diximus. Primo, ex fine, qui sine dubio est altissimus, omnium confessione; nam est idem cum fine Apostolici instituti, maximeque accedit ad finem adventus Christi in mundum; et quamvis multæ religiones eundem finem possint intendere aliquo modo, tamen Societas profecto quodam modo se ostendit in illum propensa; nam per actiones in suo ordine perfectissimas, et per omnes, quæ moraliter desiderari possunt, illum inquiri. Docet autem D. Thomas, 2. 2, q. 188, art. 6, inter religiones respicientes eundem finem illam esse perfectiorem, quæ per actionem perfectiorem illum attingit, et, cæteris paribus, illam quæ per plures actiones. Quod etiam ex communi sententia Doctorum, c. 3, ostendimus.

8. *Secundo, ex perfectione votorum ad talem finem faciente.* — *Tertio, ex aliis mediis.* — Secundo, idem suaderi potest ex perfectione trium votorum, in quibus substantia religionis consistit; jam enim in citato loco, a n. 4, indicavimus quanta sit, tam intensiva, quam extensiva perfectio Societatis in materia et observantia horum votorum, et præsertim quantum emineat in obedientia, quæ aliis est excellentior. Tertio, probari potest ex aliis mediis, quibus ad finem suum hæc religio utitur; nam et in se sunt plura et valde perfecta, et ad finem intentum maxime proportionata, ut ex illo eodem capite satis constat; supposita autem perfectione finis, nulla major perfectio in aliqua religione desiderari potest. Nam, ut recte dixit S. Antonius Abbas, et retert Moyses Abbas, apud Cassianum, col. 2,

c. 2, *optima ratio inquirendæ perfectionis non in his vel illis actionibus, aut multitudine earum, sed in discretionem posita est; nulla autem est major discretio majorve prudentiæ perfectio, quam ut proposito optimo fine, convenientissima etiam media, et ad illum maxime proportionata eligantur.*

9. *Quarto, ex perfectione charitatis erga proximum.* — *Quinto, ex perfectione charitatis erga Deum.* — Quarto, id ostendi potest ex perfectione charitatis erga proximum, quam hæc religio profitetur, ut toto lib. 9 constabit latius. Illa ergo cerni potest primo in unione religionis et membrorum ejus inter se, de qua supra dictum est, et dicetur latius libro octavo, c. 8. Deinde in benevolentia erga proximos, quæ, ut D. Thomas docuit, opusc. 18, c. 4, tunc perfecta ostenditur, quando ad omnes amicos et inimicos, fideles et infideles extenditur, et quando pro eorum commodis præsertim spiritualibus propria incommoda temporalia et corporalia etiam usque ad mortem, si opus sit, contemnantur. Quæ omnia manifeste cernuntur in modo diligendi proximos, quem hæc religio profitetur. Testimonium enim hujus benevolentia est beneficentia; nam *testificatio amoris exhibitio est operis*, ut dixit Gregorius, hom. 17 in Ezechielem, et in illud 1 Reg. 3: *Non erat visio manifesta*; et iterum hom. 30 in Evangelium. At Societas hoc beneficentia genus plane proficitur, ut evidentissimum est ex ejus instituto, et peculiari ac propria obligatione qua tenetur, non solum pro communibus Ecclesiæ hostibus, nedum Catholicis universis, sed pro suis etiam privatim inimicis, æmulisque gratiose orare, quod ad beneficentiam spectare docuit D. Thomas 2. 2, q. 31, a. 2, ad 1. Offerre item (quod specialius est) sacrificia pro iisdem, ac denique ex paupertatis voto nullum ab eis acceptare stipendium aut compensationem, quos tam sedulo, tamque laboriose litteris imbuunt, aut consilio in rebus dubiis instituit, salutarique doctrina pro concionibus impertit. Atque hinc constat quinta ratio, quæ sumi potest ex perfectione charitatis ad Deum. Unum enim ex maximis signis dilectionis ad Deum, est dilectio proximi, propter quod scriptum est, Rom. 13: *Qui diligit proximum, legem implevit*; ergo etiam perfectio charitatis erga proximum magnum indicium esse debet perfectionis charitatis erga Deum, præsertim cum ex vi sui instituti, ut dixi, teneatur Societas in animarum salute procuranda nullum temporale commodum quærere,

neque honores, aut humanas dignitates; quid ergo ei superest, nisi divinam gloriam propter se ipsam quærere, prout in suis constitutionibus sæpe admonetur? Hoc autem proprium est amoris Dei propter se ipsum; ergo.

10. *Sexto, ex suæ vocationis gratia.* — *Denique ex peculiari ratione in subditos vigilandi.* — Hinc sexto ad hanc perfectionem spectare potest singularis illa gratia *vocationis*, quam capite præcedenti, numero nono, ostendi ab Spiritu Sancto dari. Quamvis enim hæc distributione accommoda unicuique religioni tribuatur, verisimile tamen est ei dari copiosiore et majorem, quæ ad altiores effectus divinæ gratiæ assumitur; nam, ut ibidem quoque ostendi, confert Deus gratiam juxta mensuram obligationis et muneris, quæ gratia etiam crescere solet ex dispositione hominis, ad quam pertinet affectus ille, quo persona vel majorem difficultatem propter Deum amplectitur, vel magis se ipsam abnegat. In utroque autem videtur hæc religio habere singularem excellentiam; nam ex parte Spiritus Sancti instituta est ad excellentiores effectus divinæ gratiæ, quales sunt Ecclesiæ propagatio, fidei defensio, animarum conversio et perfectio. Ex parte vero eorum qui ad hanc religionem vocantur, quia eximia quædam abnegatio ab eis postulatur, ita ut nec locum, nec officium, nec quidquam aliud certum aut securum habere possint, sed ad omnem mutationem, omnemque difficultatem superandam expositi semper esse debeant; et sine dubio credendum est propriam gratiam hujus *vocationis* singulari modo esse perfectam et paratam, quantum est ex parte Dei. Denique posset hic etiam considerari singularis providentia hujus religionis ex vi sui instituti, tam in promovendo ad bonum subditos suos, medio usu sacramentorum et aliarum spiritualium rerum, quam in præcavendis malis, seu obstaculis et impedimentis spiritualis profectus. Sed hæc et in superioribus facta sunt, et toto libro 8 recurrent, et expenduntur etiam statim, punctum alterum numero 6 propositum prosequendo.

CAPUT VIII.

CONVENIENTER IN SOCIETATE CANTUS ET CHORI ORDINARIUM USUM NON ESSE.

1. *Non pertinere ad perfectionem religionis omnia consilia collective profiteri.* — Superest

ut objectionibus factis respondeamus: inde etiam facile colligetur, quod in capite præcedenti, numero sexto, secundo loco propositum est, scilicet, non posse religionem hanc aut imperfectionis argui, aut aliis religionibus postponi, eo quod vel cantu et choro non utatur ordinarie (in casu enim aliquo usum admitti patet ex congregatione generali 1, can. 25, et congreg. 2, can. 24, et congreg. 3, can. 9, et ex iis quæ lib. 8, c. 2, numero quarto, in fine attingemus), vel quia in exteriori victu et vestitu specialem austeritatem non profiteatur. Ad quod imprimis suppono, non pertinere ad perfectionem alicujus religionis, ut omnia consilia collective (ut sic dicam) et in particulari amplectatur et profiteatur. Quod significavit D. Thom. 2. 2, q. 186, a. 2, et late a nobis explicatum est, tractando in genere de statu religionis, tractatu 8. Et ratio evidens est, quia impossibile est multitudinem omnium consiliorum simul exequi et observare; imo, quædam eorum possunt esse impossibilia ut simul fiant, ut inservire infirmis, et concionari, aut eodem tempore, aut continuo officio; sæpe enim ipsa rerum multitudine obruitur humana natura, et aut vires corporis deficiunt, aut fervor spiritus extinguitur, et ita propter indiscretum onus sæpe in virtute non perseveratur, ut dixit S. Antonius, apud Cassian., dicta collat. 2, cap. 2. Et colligitur optime ex verbis illis Apostolorum, Actor. 6: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Opus enim illud ministrandi optimum erat, et sub consilio, non tamen statui Apostolorum accommodatum, quia non poterat simul cum munere prædicationis conjungi.

2. *Duo consideranda ut comparatio inter duas religiones fiat.* — *Unum.* — *Alterum.* — Quapropter, quando fit comparatio inter religiosos status, et uni videtur deesse aliqua observantia religiosa, et exercitium alicujus operis sub consilium cadentis, quod in aliis religionibus invenitur, non statim potest talis religio aut imperfecta, aut inferior aliis simpliciter judicari. Sed ut de utraque illa re judicium feratur, duo cum partitione accommodanda pensanda sunt. Unum est, an tale opus sit accommodatum fini talis religionis, vel potius an, considerato illo fine, expediens fuerit tale exercitium in tali religione non admittere: nam, si prudenter hoc ita judicatum fuerit, carentia illius observantiæ non poterit juste existimari imperfectio privata (ut philosophico more loquar) talis religionis, cum